



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Marii Mercatoris S. Augustino Æqualis Opera Quaecumque Extant

[Complectens Ea Quæ Ad Hæresim Nestorianam Spectant]

Marius <Mercator>

Parisiis, 1673

Caput V. Quam ob causam exinanitum dicatur Dei Verbum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14215

Joan. 3. v. 13. *descendit de celo filius hominis.* Descendit se autem dicimus de celo filium hominis, per unitatem dispensatoriam, Verbo tribuente propriae carni gloriae suae & divinae majestatis claritudinem.

CAPUT V.

Quam ob causam exinanitum dicitur Dei Verbum.

PLENUM secundum naturam, & ex omni parte perfectum Deum Verbum, & distribuens ex sua plenitudine bona sua creaturae, eo quod ait: *Effundam de spiritu meo super omnem carnem.* Exinanitum dicimus; nihil in natura propria violatum, nec, ut aliter se haberet, commutatum, nec inferius ex vlla parte factum: inconvertibile enim & immutabile est ipsum quoque, sicut & generator ipsius, & nunquam fuit passionis ullius capax. Quando vero factum fuit caro, id est, homo, humanitatis paupertatem propriam sibi fecit. Primum, quod semel homo sit

factus, etsi remanserit Deus; deinde, quod servi formam acceperit, qui secundum suam naturam liber est, utpote Filius. Atque ita cum sit ipse gloriae Dominus, gloria dicitur accipere; cum sit ipse vita, vivificari perhibetur, & in omnes accipit potestatem, cum sit ipse rex omnium; cumque Deo sit aequalis Patri, obediens fuit crucem passus, & caetera. Verum cum haec quidem humanitatis mensurae conveniant, ea tamen familiaria ducit esse cum carne, & implet dispensationem, manens quod erat.

CAPUT VI.

Quomodo unus est Christus.

DIVINUS Paulus scribit: *Etsi sunt dii multi, & Domini multi in caelo, & in terra; sed nobis unus Deus Pater, ex quo omnia, & nos ex eo; & unus Dominus JESUS CHRISTUS, per quem omnia, & nos per eum.* Ac vero sapientissimus Joannes de Deo Verbo dixit, quod omnia per ipsum facta sunt, & absque eo factum est nihil. Evangelizabat autem beatus Gabriel sanctae Virgini dicens: *Ecce concipies in utero, & paries Filium, & vocabis nomen ejus JESUM.* Cum igitur per CHRISTUM JESUM omnia divinus Paulus facta esse commemorat; confirmet autem vim sententiae, & opificem omnium fuisse Deum evangelizet, rem veram dicens evangelista divinus; designet autem etiam angeli vox: vere ex sancta Virgine natum esse JESUM CHRISTUM, nec absque humanitate intelligimus Deum Verbum; sed

vnum dicimus ex ambobus effectum, & Deum hominem factum, eundem ex Patre, ut Verbum, natum divine, & ex muliere humane, ut hominem: non tanquam ut secundum substantiae initium vocatum tunc cum secundum carnem dicitur natus; sed natum quidem ante omnia saecula, instante tamen tempore, quo debuerat implere dispensationem, natum etiam ex muliere secundum carnem. [Ergo, etsi alii simili appellatione vocati sunt Christi, vnum tamen est, per quem omnia, JESUS CHRISTUS; non quod sit factus opifex omnium,] sed quod Deus Verbum: *Per quem omnia facta sunt, similiter ac nos participavit carni & sanguini, & nuncupatus sit homo, non tamen perdiderit esse, quod erat: ita enim & in carne factus intelligitur merito opifex omnium.*

1. Cor. 8. v. 5.

Joan. 1. v. 3.

Matth. 1. v. 16.

Cit. Facundus lib. 6. c. 1.

Heb. 2. v. 14.

